

de Deipara sentiat Augustinus : *Ille enim Virginitatem Mariae partus conditione dissolvit; tu (Augustine) ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis; sic ipse respondet: Non transferibimus diabolo Mariam conditione nascendi; sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi.* Transcribi diabolo conditione nascendi est in ipsis primordiis Conceptionis peccatum contrahere, interque diaboli numerati mancipia ex lege communi. Hoc est enim, quod tota illa disputatione contendit Augustinus, homines nempe non ex utero solum, sed in utero nasci, hoc est concipi sub lege peccati. Idemque negat Pelagianæ factionis signifer Julianus. Quod si diabolo transcribi conditione nascendi nihil esset aliud Augustino, quam ex utero nasci cum labe peccati; ab ea lege non Deiparam modo, sed & Baptistam, & Jeremiam immunes appellasset; quos, ut erat acutus, & Scripturarum intelligens, ab utero natos sine peccato, Deique gratia, & sanctitate exornatos probe cognoverat. Mariam igitur non modo natam ex utero, sed & conceptam sine peccato existimavit.

Fulgentius Ruspensis magistrum suum imitatus Augustinum, id ipsum tradit his verbis in Sermone de laudibus Mariæ: *Cum dixit, Gratia plena, ostendit ex integra iram exclusam primæ sententiæ.*

Similia his habet Faustus Regiensis, quem Gallicanum Martyrologium Sanctum appellat, & ab erroribus Massiliensium, nitente ipso Fulgentio, respuisse memoriæ est proditum: *Porta clausa (a), idest signaculum pudoris, immaculatae carnis integritas. Non enim violata est partu, quæ magis est sanctificata Conceptu, quæ absque omni peccato concepta est in utero.*

Sanctus Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus, qui Divo Bernardo quingentis annis antiquior fuit, mentionem facit immunitatis Deiparæ, tamquam rei exploratæ, & omnibus

(a) In libro, cui titulus: *Veterum aliquor Galliarum Theologorum scripta.*